



Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

31. De eo qui hominem in Ecclesia interficit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eo qui hominem publicam pœnitentiam
agentem interficit. *Ex Capitularium*
lib. iii. cap. xvii.

X X X . Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interficerit, bannum nostrum in triplo componat, & vveregildum proximis eius persolvat.

Lib. 4. Capi-
tular. c. 18.
Vide infra c.
190. hujus
libri.

De eo qui hominem in Ecclesia interficit.

X X X I . Si quis aut ex levi causa aut sine causa hominem in Ecclesia interficerit, de vita componat. Si verò rixati foris fuerint, & unus alterum in Ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interficerit, & si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim testibus juret legitimis se defendendo eum interfecisse, & post hæc solidos sexcentos ad partem Ecclesiae, quam illo homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur. Is verò qui imperfectus est, absque compositione jaceat. ac deinde imperfector secundum judicium canonicum congruam facinori quod admisit pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset; & si manus ejus exusta fuerit, interfi ciatur; si autem non fuerit, dominus ejus, iuxta quod vveregildum illius est, ad Ecclesiam persolvat; aut, si voluerit, eum eidem Ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino & beneficiario volumus ut pro una vice vvirigilium pro eo componatur, altera vice servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi

Lib. 4. Capi-
tular. c. 13.
Lib. 1. Leg.
Longob. tit. 9.
2. 29. 30. 35:
& seq.

P

hominis , qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus , ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio Ecclesiæ , cuius porta reliquiis sanctorum consecrata est , hujuscemodi homicidium perpetratum fuerit , similiter componatur & emendetur. Si vero non est consecrata , eodem modo componatur sicut componi debet quod in immunitate violata committitur.

In vetustissimo codice M.S. monasterij Rivipullenſis , qui continet libros septem Capitularium , post illa verba , congruam facinori quod admisit pœnitentiam accipiat , iſta statim adduntur. id est , xxii. annis , vii. ex his in pane & aqua ad ostium Ecclesiæ satisfaciat , remotus ab oratione & communione fidelium. ceteros septem societur orationi fidelium. transactos qui supersunt vii. communionem plenam perfectè subsequatur. Abstinentia ejus sacerdotali providentia temperetur. Si proprius servus &c.

De injuriis Sacerdotum vel Clericorum.

Ex eodem , cap. xiv.

Lib. 4. Capitular. c. 14.
Lib. 2. Leg. Longob. tit. 40. c. 6.

X X X I I . Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum fuste , si Presbyter fuerit , triplo componatur , duas partes eidem Presbytero , tercias pro fredo ad Ecclesiam , & insuper bannus noster. Similiter de Diacono juxta compositionem ejus in triplo cum banno nostro componatur. De Subdiacono & de unius cuiuscunque ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo persolvatur , & insuper bannus noster.